

fluctuationes distinctissime notare, verbo, totam regionis faciem in tabula exquisitissime spectandam, exercitata quavis manu suis lineis proportionibus & mensuris exprimere multo perfectius licuisset, quam ullam ceteroquin artis pictoriae methodo fieri posset. Mox, intervallo quindecim, aut quod excurrit, pedum in Sole statuto puero, ejus effigiem omnibus numeris absolutissimam (quippe ne pilum quidem unum aut filamentum abjectissimum lacerare alicubi vestis, adde nec motus horum ab aëris fluctuatione pendentibus, id quod arti pictoriae penitus est impossibile, exprimere oblitam) exhibuimus Spectatoribus nostris, fatentibus jam praestitisse nos quod eramus polliciti; *Scilicet intra unius horae quadrantem edocturos unumquemque ipsorum artem effigiandi hominis cujusque vultum eam perfectione, quam omne pictorum omnium artificium nunquam valeret attingere.*

Secundò, duas lentes vitreas intra tubum chartaceum ita coordinavimus, (nunc removendo illas abinvicem, nunc propius jungendo, donec essemus voti compotes) ut per illas prospicientibus esset clarus & distinctus objectorum prospectus; vidimusque tunc homines per plateas discurrentes, capite deorsum, pedibus sursum conversos, aedificia tectis suis superstructa, everfa omnia: Eodem verò illo tubo obscurae camerae inserto, rerum externarum species tabulae albae erecto fitu per ipsum allapsas conspeximus; & cum in oculo, tanquam parva camera obscura, idem fieri ejusdem tubi ope, ex antecedentibus colligeremus, hoc inde deduximus confectarium opticum: *In oculi fundo si pingantur imagines rerum erectae, ipsum res ipsas videre inversas; & contra, recipientem everfas objectorum species, ipsa intueri erecta.*

Horum verò causas ex antedictis facile sic declaravimus: Quia radius è puncto M (*Fig. V.*) per angustum pupillae foramen ingressurus inclinatur deorsum, alter ex L sursum vergit; haut procul à pupilla intra oculum se necessario secant, ita ut prior ejus fundum attingat in m, posterior in l. Ex opposito igitur vis sentiens ab l ad L deorsum, & ab m ad M sursum